

GRATIAN. Cum ergo in Concilio Agathensi, & Martini, & Canonibus Apostolorum dicatur [Sint manifeste res proprie Episcoporum] cum in eisdem Canonibus, & in Concilio Antiocheno precipiatur, ut Episcopos participet res Ecclesie, si tamen indiget; nonne patenter ostenditur, quod Episcopus habeat libere propria? Dicendo enim [si indiget] notat eum habere propria, que for- tasse suis necessitatibus non sufficiunt. Quomodo ergo Episcopus, si propriam habere voluerit, Clericus non erit? & Episcopus habens propria, non solum non desinit esse Episcopus, verum etiam cunctas Ecclesiasticas facultates in sua iurisdictione habere potestatem? §. 1. Sed notandum est Episcopos Orientales uxores habere, & filios, five in minoribus Ordinibus constituti habeant uxores, & filios, five morte uxoris interveniente, five continentia pari voto servata, ad sacros Ordines accedere. His omnibus conceditur habere propria ad suos, & suorum usus. §. 2. Qui autem ab infantia sacre militie traditi sunt, nullo modo eis permittitur habere propria; quia nulla est eis excusatio proprietatis: nisi fortasse retinendo sua, a sumptibus Ecclesie abstineant. Quod fieri posse testatur dicens

PITH. Nullo modo. Contra l. Sacrosancta, §. l. Lege, Cod. de Episc. & Cler.

XXV. PROSPER de Vita Contemplativa, l. 2. c. 12. [imò Julian. Pomerius c. an. 496. in Gallia.]

De iis, qui tam infirmi sunt, ut suis rebus renuntiare non possint.

ILLI autem, qui tam infirmi sunt, ut possessionibus suis renuntiare non possint, si ea, que accepturi erant, dispensatori relinquant nihil habentibus conferenda; sine peccato possident sua: quia & ipsi quodammodo sua relinquunt; quando propriis contenti rebus, nihil eorum, que labori, vel ordini suo debent arbitrantur, accipiunt.

GRATIAN. De rebus vero Ecclesie quaritur, an liceat eas per Præbendas dividi, ut annuus redditus quilibet sibi specialiter vendicet. Hoc non posse fieri, argumento & autoritate probatur. Clerici successores eorum sunt, de quibus dicitur: *Multitudinis autem Crediturum erat cor unum, & anima una.* Necessè est ergo, ut eorum sequantur vitam, quorum in Ecclesia gradum administrant. Non ergo aliquid proprium sibi vendicabunt, sed erunt eis omnia communia.

XXVI. ITEM URBANUS Papa ait in Epistola unica, c. 2. [an. 222. Romæ ad omnes Christianos.]

Res Ecclesie quasi communes Episcopus dispenset. Res Ecclesie non quasi proprie, sed ut communes, & Domino oblate, cum summo timore non in alios, quam in præfatos usus sunt fideliter dispensanda.

XXVII. ITEM EX SYNODO habita Romæ ab Eugenio Papa II. c. 16. [an. 826. Romæ.]

Non liceat Episcopo res Ecclesiarum in proprios usus convertere. Nulli Episcoporum liceat res mobiles, aut immobiles de subjectis plebibus, aliisque piis locis in proprio usu habere: ne majores enormiter locupletentur, & minores tali facto pauperes inveniuntur. Contra agens, Canonica autoritate coarctatus existat.

GRATIAN. Si ergo res Ecclesie, non quasi proprie, sed quasi communes habende sunt; cum de communi nullus dicat, hoc meum est; nec de rebus Ecclesie, hæc est mea, potest aliquis dicere: ne videatur non imitari charitatem illorum, in qua nulli aliquid erat proprium, sed erant illis omnia communia. §. 1. His ita respondetur. Sicut perfectione charitatis manente, secundum discretionem Ecclesiarum, distributio fit Ecclesiasticarum facultatum, dum aliis possessiones hujus Ecclesie ad dispensandum committuntur, ex quibus, licet res Ecclesie omnibus debeant esse communes, primum tamen sibi, & sua Ecclesie deservientibus necessaria subministrat, reliqua, que supersunt, fidelium usibus ministratur; ita & Præbende Ecclesiarum, eadem charitate manente, piè & religiose possunt distribui; nec tunc rebus Ecclesie, ut propriis, sed ut communibus utilitatibus deservitur: ut ex his, que sibi assignata sunt, primum sibi necessaria percipiat: si qua vero suis necessitatibus supersunt, in communes usus Ecclesie expendat. Unde

XXVIII. AUGUSTINUS ad Bonifacium Comitem, Epist. 50. [c. an. 417. in Africa.]

De eodem. Si privatim possidemus, quod nobis sufficiat, non illa nostra sunt, sed pauperum: quorum procuracionem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis usurpacione damnabili vendicamus.

GRATIAN. Ostensum est, quomodo liceat Clericis habere pro-

rium, & quomodo non. Item, quomodo res Ecclesie per Præbendas dividi possint.

AN RES ECCLESIE, QUÆ A CLERICIS DATÆ SUNT, POSSINT CONSTARE ALIQUA FIRMITATE HIS, QUI EAS ACCEPERUNT.

QUESTIO II.

Nunc queritur, si Sacerdotes aliqua de rebus Ecclesie dedisse noscuntur, an his, qui eas acceperunt, aliqua firmitate constabunt. Quod res Ecclesie nullo modo distrabi possunt, & distracta possideri, multis autoritatibus probatur. Ait enim

I. STEPHANUS Papa. [imò Anacletus Epist. l. c. 2. c. an. 102. Romæ ad omnes Episcopos.]

Ecclesia pecunias auferens vel homicida damnatur. Qui Christi pecunias, & Ecclesie auferit, fraudat, & rapit; ut homicida in conspectu Judicis deputabitur.

CORR. ROM. In Epistola Stephani I. que extant, Caput hoc non habetur: sed in Epistola prima Anacleti, ex quo citatur a Burchardo, & Ivone, & in Concilio Triburiensi, & infra ead. c. qui abstulerit. Idem etiam legitur apud Lucium Papam.

II. ITEM PLAGIUS Hostilio Episcopo. [forte c. an. 557. Romæ.]

Quidquid de sacris vasis, vel ministeriis à quolibet Clerico usurpatum fuerit, Ecclesia restituitur.

AUGUSTINO nostre sedis Notario suggerente didicimus, quod ei Dilectio tua directis apicibus indicasset, quosdam de Clero tuo, & maxime parochiarum ad te pertinentium non pauca sacra vasa, vel ministeria distinxisse, & aliqua hujusmodi perpetrare, que à religio aliena sunt proposito. Charitatem vero tuam (ut hoc competenti sollicitudine debeat insequi, vel ulcisci) nostre præceptionis autoritate cupis communi. Qua de re præsentibus mandamus assatibus, ut competentis vivacitatis instantia, quidquid de sacris vasis, vel ministeriis à quolibet Clerico usurpatum vel distractum fuisse compereris, sine cuiusquam moræ intervenitu exigere non dimittas, & Ecclesiasticis usibus reformare.

III. ITEM BONIFACIUS Papa. [forte ex Cap. 6. c. 302. al. Ex Decretis Bonifacii Papa.]

Nulli liceat ignorare, omne, quod Domino consecratur, five fuerit homo, five animal, five ager, vel quidquid semel fuerit consecratum, sanctum Sanctorum Domino erit, & ad jus pertinet Sacerdotum. Propter quod inexcusabilis erit omnis, qui à Domino, & Ecclesia, cui competunt, auferit, vastat, invadit, vel eripit; & usque ad emendationem, Ecclesieque satisfactionem, ut facile iudicetur: & si emendare noluert, excommunicetur.

IV. ITEM GREGORIUS VII. lib. 6. Regesti, in Concilio, c. 1. [an. 1078. Romæ.]

Uicumque militum, vel cuiuscumque ordinis, vel professionis persona, prædia Ecclesiastica à quocumque Rege, seu seculari Principe, vel ab Episcopis invititis, seu Abbatibus, aut aliquibus Ecclesiarum Rectoribus succiperit, vel invaserit, vel de Rectorum depravato, seu vitioso consensu tenuerit; nisi eadem prædia Ecclesie restituerit, excommunicationi subiaceat.

V. ITEM PIUS Papa I. Epist. 2. [forte c. an. 157. Romæ ad Italicos.]

Prædia Divinis usibus tradita quidam humanis applicant usibus, & Domino, cui tradita sunt, ea subtrahunt, ut sibi interserviant. Quapropter ab omnibus illius usurpationis contumelia depellenda est: ne prædia usibus secretorum Cælestium dicata, à quibusdam irruentibus ventur. Quod si quisquam præsumperit, ut sacrilegus habeatur.

PITH. Prædia. l. II. Cod. Tb. de Episc. & Cleric. Capitul. lib. 5. c. 187. 295.

VI. ITEM ANACLETUS Papa, Epist. I. [c. an. 102. Romæ ad omnes Episcopos.]

Qui abstulerit aliquid patri, vel matri, dicitur hoc peccatum non esse; homicida particeps est. Pater Burch. l. II. noster sine dubio Deus est, qui nos creavit: mater vero nostra, Ecclesia, que nos in Baptismo spiritaliter regeneravit. Ergo, qui Christi pecunias, & Ecclesie rapit, auferit, vel fraudat; homicida est.

VII. ITEM JOANNES Papa I. ad Zachariam Archiepiscopum. [an. 523. Romæ.]

Quadruplum restituit, qui res Ecclesie invadit. In antiquis Ecclesie statutis decretum est, ut qui aliena invadit, non exeat impunitus; sed cum multiplicatione omnia restituat. Unde & in Evangelio scriptum est: *Quod si aliquid defraudaveris, reddo quadruplum.* Et in Legibus seculi cautum habetur [Qui rem furripit alienam, &c.] ut infra in autoritate Eusebii Papa.

VIII. ITEM GREGORIUS I. ad Constantiam Reginam Gallie, lib. 4. Epist. 33. feu c. 77. [an. 595. Romæ in Galliam.]

Pro tenore secularium Legum puniantur inavosores verum Ecclesiasticarum. Cum devotissimam Dominam sciam de Cælesti vita, atque remedio anime sue sedulo cogitare, culpam me committere vehementer existimo, si ea, que pro timore omnipotentis Domini tibi suggerenda, siluero: & te sanctissimam de Ecclesiastica pace sedulo non commoneoro. Nimirum Juliani fratris, & Coepiscopi nostri proclamatio nuper contrivitavit, maxime cum villa sue, videlicet Ecclesie à nequissimi prædonibus sint deprædata, atque nocturnis incendiis more furum combusta: & dum idem maligni iuxta nostri Prædecessoris Bonifacii Decreta pro violata emunitate illud emendare noluert: dum & seculi Leges hæc eadem ita se habere voluerint, Lege vulgari teste, in qua sic scribitur; [Si quis manu armata usque ad quatuor homines in vicum alterius ad maleficiendum venerit, ille, qui prior est, pro illicita præsumptione componat solidos nongentos: sequaces vero ejus, unumquique solidos octingenta. Si vero incendium fecerint, ibi novies tantum componant: si prædam vero, in quadruplum restituant.]

CORR. ROM. Initium hujus Capituli usque ad vers. finituro, est acceptum ex Epistola indicata. Reliqua non sunt inventa. *Violata.* Hæc dictio abest à plerisque vetustis, & hic, & in sequenti Capite, ubi in vulgatis est, emunitas violata. *Violata.* I. abest à V. C. *Hæc eadem.* I. Sic V. C. *Leges vulgari.* c. si quis. Rotharis lib. 1. Leg. Longob. tit. 15. *Si.* Delet V. C.

IX. ITEM. [forte an. 598. Romæ.]

SI seculi Leges talem justitiam habere voluerunt; lex Divina cur inferior esse debeat? cum in ipso Veritate præsentia à Zachario collaudatum sit, ut si aliquem defraudarat, in quadruplum restitueret? Et quia summum in rebus bonum est justitiam colere, ac sua cuique jura servare, & in Subjectos non sinere quod potestatis est, fieri, sed quod æquum est, custodiri (quod & vos diligere, & omnino comprehendere studere); ea propter Excellentie vestre, mensis Novembris præsentis anni, secunda indicitione, Petrum fratrem & Coepiscopum nostrum à gremio sancte Romanæ Ecclesie transmittimus, ut fratribus ejusdem provincie in unum congregatis, immunitas violata, & præsumptio, & sacrilegium Canonica autoritate, & vestra Regia dignitate talem terminum accipiant, ne posthac membra Diaboli, sibi nequam, in sancta Ecclesia, te etiam ibi regnante, talia præsumant.

CORR. ROM. In plerisque vetustis codicibus, & apud Burchardum, & Ivonem Caput hoc est conjunctum superiori. *PITH.* Quadruplum. Undecuplum, infra, XVII. q. 4. quisquis.

X. ITEM EUSEBIUS Papa, Epist. 2. [an. 307. vel 312. Romæ in Ægyptum.]

Ecclesia ves surripientis, in undecuplum restituat, quod abstulit. In Legibus seculi cautum habetur [Qui rem furripit alienam, &c.] ut supra. *Maledictus omnis, qui transierit terminos proximi sui, & dicit omnis populus, Amen.* Talia ergo non præsumantur absque ultione, nec exerceantur absque sua damnatione. Proinde, si quis Ecclesiasticas oblationes, & quod Deo consecratum est rapuerit, vel consenserit facientibus; ut sacrilegus judicetur, & damnus in quadruplum restituat, & canonicè poeniteat.

CORR. ROM. a. Proinde. Hinc usque ad finem non sunt in Epistola Eusebii, neque apud Ivonem, aut Symmachum. Habentur tamen apud Burchardum, & Ivonem par. 13. c. 37. & in Polycarpo interpositis etiam aliquot verbis, que in Epistola habentur post vers. damnatione.

XI. GREGORIUS I. c. 4. Responsum ad Augustinum Anglorum Episcopum. [an. 604. Romæ in Angliam.]

¹ Et in Epist. 2. Eusebii Papæ ad Ægyptios, & in Decret. Julii, c. 1. & Symmachus in V. Synodo. ² Burch. l. II. c. 25. ³ Ivo, p. 3. c. 149. ⁴ 13. c. 1. ⁵ p. 5. c. 249. ⁶ Luc. 19. ⁷ Infra, ead. in legibus. ⁸ Burch. l. II. c. 26. ⁹ Ivo, p. 13. c. 36. ¹⁰ Irenæus in orig. ¹¹ al. patria, ¹² Burch. l. II. c. 18. ¹³ Ivo, p. 14. c. 88. ¹⁴ Lib. I. Legum Longobard. tit. de Aggress. in vic. fact. leg. 1.

¹⁵ Burch. l. II. c. 26. ¹⁶ Ivo, p. 13. c. 36. ¹⁷ Irenæus in orig. ¹⁸ al. patria, ¹⁹ Burch. l. II. c. 18. ²⁰ Ivo, p. 14. c. 88. ²¹ Lib. I. Legum Longobard. tit. de Aggress. in vic. fact. leg. 1.

²² Burch. l. II. c. 26. ²³ Ivo, p. 13. c. 36. ²⁴ Irenæus in orig. ²⁵ al. patria, ²⁶ Burch. l. II. c. 18. ²⁷ Ivo, p. 14. c. 88. ²⁸ Lib. I. Legum Longobard. tit. de Aggress. in vic. fact. leg. 1.

²⁹ Et Symmachus in V. Synodo, & Joan. I. Epist. 1. supra, ead. in antiquis. ³⁰ Polyc. l. 8. tit. 15. ³¹ Ansel. l. 5. c. 41. ³² Burch. l. II. c. 27. ³³ Ivo, p. 13. c. 37. ³⁴ p. 5. c. 249. ³⁵ Pann. l. 4. c. 47. ³⁶ In Decr. Julii, c. 1. ³⁷ al. Decuplum. ³⁸ Deut. 27. ³⁹ Gratian. ⁴⁰ Contra de his, qui furim auferunt aliquid de Ecclesia, scribit

Sine augmento sibi ablata Ecclesiam recipere oportet.

FRATER tuus ex persona furis pensare potest, qualiter valeat corrigi. Sunt enim quidam, qui habentes sublicita, furtum perpetrant: & sunt alii, qui hac in re ex inopia delinquant. Unde necesse est, ut quidam damnis, quidam vero verberibus, & quidam districtius, quidam vero levius corrigantur. Et cum paulo districtius agitur; ex charitate corrigantur. Et cum paulo districtius agitur; ex charitate agendum est, & non ex furore: quia ipsi hoc præfatur, qui corrigitur, ne gehennæ ignibus tradatur. *Infra.* §. 1. Addis etiam quod augmento ea, que furto de Ecclesia abtulerunt, reddere debeant. Sed abfit, ut Ecclesia cum augmento recipiat, quod de terrenis rebus videtur amittere, & lucra damnis querat.

VERUM illud Eusebii de Legum severitate: illud Gregorii de Ecclesiastica manufactudine dictum intelligitur.

XII. ITEM GREGORIUS I. lib. 10. Epist. 42. Deuiledit Episcopo Mediolanensi. [an. 600. Romæ in Insulviam.]

Non sunt alienanda in Episcopatu acquisita. Res in Episcopatu acquisitas Sacerdotibus nulla est alienandi licentia.

XIII. ITEM EX OCTAVA SYNODO universalis, c. 15. [an. 869. & 870. Constantinopoli.]

Vasa sacra, nisi pro redemptione captivorum, non sunt alienanda.

APOSTOLICIS, & paternis Canonibus renovans hæc facta, & universalis Synodus diffiniuit neminem prorsus Episcopum vendere, vel utcumque alienare cimelia, & vasa sacra, excepta causa olim ab antiquis Canonibus ordinata, videlicet pro redemptione captivorum: sed nec tradere salaria Ecclesiarum in emphyteutica pacta, nec alias rufficas possessiones venundare, ac per hoc Ecclesiasticos redditus ledere: quos ad propriam utilitatem, & ob eam pauperum, & peregrinorum sustentationem esse decernimus.

§. 1. Quisquis autem apparuerit post hanc diffinitionem nostram contrarium quid hinc facta ex universalis Synodo agere; deponatur ut prævaricator Divinarum legum, & præceptorum: cassata videlicet omnino, que facta est in scriptis, vel sine scriptis ab Episcopo, venditione, vel emphyteutica traditione, vel alia quolibet alienatione, cimeliorum scilicet, & salariorum locorum. Qui vero emerit, aut perceperit aliquid ex prædictis cimeliis, vel salariis, & non restituerit Ecclesie iterum, que Ecclesie sunt, vel non dederit ad incidendum chartam venditionis, vel emphyteuticas; sit anathema usque dum fecerit, quod ab hac sancta & universalis Synodo confirmatum est. **§. 2.** Si autem Episcopus convictus fuerit construxisse Monasterium de redditibus Ecclesiasticis; tradat ipsum eidem Ecclesie Monasterium.

CORR. ROM. a. Octava. Sic est emendatum ex Anselmo, cum antea legeretur, Sexta. Est autem Canon decimus quintus Synodi octavæ, habita tempore Hadriani Papæ II. contra Photium, ex versione Anastasii Bibliothecarii. **β** Videlicet pro redemptione. In Concilio ipso, & apud Anselmum legitur, *qua accipiuntur in redemptionem captivorum.*

γ Decernimus. In ipso Canone sequuntur hæc: *Omniem vero Ecclesiasticarum rerum potestatem habentem, & has meliorare, ac dilatare, prout oportuerit: Ecclesiastica loca, que per redditus sunt, & insuper propriam rerum dispositionem distribuere, ac committere, seu conferre quibuscumque voluerit, & iudicaverit, juxta propriam potestatem, ac dominatum. Quisquis autem apparuerit, &c.*

§ PITH. Apostolicis. Ex Synodo VIII. c. 15. Vide Nicol. de Cusa lib. 2. de Concord. c. 29.

XIV. ITEM GREGORIUS I. lib. 6. Epist. 35. seu c. 199. Domino Episcopo Messanenensi. [an. 597. Romæ in Siciliam.]

Pro redemptione captivorum sacra vasa non prohibentur alienari. ET sacrorum Canonum, & Legalia statuta permittunt, ministeria Ecclesie pro captivorum esse redemptionem vendenda.

XV. ITEM DEMETRIO, & Valeriano Clericis Firmans, lib. 7. indict. 2. Epist. 14. [an. 598. Romæ in Picenum.]

Res Ecclesie licite impendantur pro redemptione captivorum. SACRORUM Canonum statuta, & Legalis permittit autoritas licite res Ecclesiasticas in redemptionem captivorum impendi. Et idè, quia edocti à vobis sumus ante annos ferè XVIII. Virum reverentissimum quemdam Fabium Episcopum Ecclesie Firmans libras XI. argenti de eadem Ecclesia pro redemptione vestra, tunc vero Clerici, nec non matris vestre, hostibus impendisse, atque ex hoc quandam formidinem vos habere, ne hoc, quod datum est, à vobis quolibet tempore repetatur; hujus præcepti autoritate suspicionem vestram prævidimus auferendam; constituentes nullam vos exinde, heredesque vestros quolibet tempore repetitionis molestiam sustinere: nec à quocumque vobis aliquam obijci questionem.

§ Ivo, p. 3. c. 145.